



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

13. Dies Decembris. Puderet te fortassè imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**



audebant, & Pilatus interrogabat. Servus colaphis cadebatur, & ipsa creatura horrebat. Crucifigebatur, & thronus gloriae non deserebatur. In sepulchro claudebatur, & calum, uti pellem extendebat. Inter mortuos reputabatur, & infernum despoliabat. Hic, ut deceptor calumniis afficiebatur, ibi, ut sanctus glorificabatur. Ob signo haec omnia effato S. Augustini. (a) Christus factus est homo, qui erat Deus: accipiendo, quod non erat, non amittendo, quod erat. Ita factus est Homo - Deus. Erigat te Christus per id, quod homo est: ducat te per id, quod Deus, & homo est, perducatur ad id, quod Deus est. Tu esto humanus erga Hominem, Divinus erga Deum, & eris acceptus Homini - Deo. Nimis quam luculentè, tum suam Humanitate, tum Divinitate (ut claudam usitato pensato.)

*Christus monstravit, quantum te semper amavit.*

### 13. DIES DECEMBRIS.

Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. S. August. tract. 25. in Joan.

Christi I. merita infinita.

**T**Otis, velut in circo, viribus inter se certarunt, hinc hominis superbi miseria: inde humilis Dei Misericordia. Sed non æquo Marte: nam dum humilis Deus deprefit hominis superbiam, sustulit & miseriam: ut jam miserum esse, non sit Dei cogentis, sed hominis volentis: Enimverò. (b) *Quae superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanetur? Ait Augustinus: Puderet fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.*

Quid

(a) Tract. 23. in Joan. (b) De Agon. Christi c. 11.



Quid non impetrabit à Deo Patre, humilis Dei Filius? quàm debet is esse apud Patrem gratiofus, cum ejus gratiâ tot sint Deo grati? ubi Christi vel nomen tantum personat, illic Misericordia mox advolat. O vox miræ virtutis, per Christum, quâ auditâ commoventur omnia viscera Misericordiæ? Inter homines omnes solus est Christus, qui Patrem pro dignitate divina amat: quomodò Filius, qui sic amat, si aliquid rogat, non obtinebit rogata? Nomen Filii, sine ullo obsequio gratum est etiam celestissimis hominibus: quid non faciet Filii titulus, apud Patrem, tot titulis, quot obsequiis Patri præstitis (ut sic loquar) obstrictum? qui pensulatiùs secum expenderit Christi erga Patrem obsequia, censebit præmia omnia ei debita. Perierat Patri totus, quem creaverat, mundus: sed Filius ejus, ingressus mundum, suo sanguine expiavit, & perditum Patri restituit. Annè hoc parvi momenti est obsequium?

II. Plurimi in cælo Angeli, & omnes in terris homines, Patri jam perduelles, movebant illi suâ superbiâ bellum: ipse Filius voluit tantum damnum resarcire; humiliavit ergò se usque ad mortem, mortem autem Crucis: & sic reparavit gloriam Patris. Voluit homines pervicaces dedocere contumaciam, & docere obtemperantiam. Omnes homines Patrem contemptibiliter despiciebant, & illius violabant honorem, cui soli debetur omnis honor: Filius voluit eum pro omnibus honorare. In Patrem, omnes sacrilego ore blasphemabant: Filius, pro omnibus blasphemantibus Patrem, adorabat. Denique, ubi mundus scatebat Dei inimicis, tot ei restituit officiosissimos famulos, fidelissimos amicos, amantissimos



mos filios. Imò cælum incolis vacuum replevit Dei cultoribus, & amatoribus. Sed quali hæc omnia præstitit dignitate, quanto amore? Cùm fuerit omni ex parte infinitus; talis, tantusque fuit, ut non suppetat Patri, nec quâ intelligat scientiâ, nec quâ valeat potentiâ quâ possit præmiis sat dignis remunerari Filii obsequia longè dignissima. Illa si sint vera: imò, cùm sint vero veriora; hæc pauca nunc tecum expende: Si Deus tam sit beneficus, ut impiis beneficiat: si tam justus, ut justus ultra merita satisficiat: si in omnes sit tam effusè munificus, ut nullo etiam benefaciendî expectato titulo, dona sua in omnes cumulatissimè profundat: an in Filium erit iniquus, qui in hostes tam est benignus? Age, quid ager Pater? ubi viderit se non posse superare Filii sui merita: sed minora esse omnia præmia, quæ Filio dedit, & in gratiam Filii, aliis quibuscunque hominibus, & quidem infinite minora quàm sint ipsius Filii officia.

III. Sufficit vel unicum ejus suspirium, ut omnes homines evadant æternum exitium. Propter pedis, aut manus vel minimum motum, deberet Pater ejus, conferre cuilibet homini quascunque virtutes, & quidem in excelssimo gradu, quibus ulli unquam homines præcelluerunt: videlicet, fidem Abrahæ, Obedientiam Isaac, Tolerantiam Jacob, Mansuetudinem Moyse, Patientiam Job, Pietatem Davidis, Castitatem Josephi. Meretur vel una ejus oris vocalis, ut omnes homines, tam ardentem Deum amarent, quàm omnes simul in-cælo Seraphini. Imò ut concipias spem immensam, per immensa Christi merita, quidvis à Patre impetrandi: vel unica, quæ ex Divinis ejus oculis stillat lachrymula, tanti est apud Patrem



Patrem meriti, pro nobis pretii: ut tamen Pater propter illam unam largiretur omnes favores, gratias, dona, beneficia, virtutes, ac sanctitatem, quæ largitus est Matri sui Filii; necdum fecisset Filio suo satis, plura mereretur illa lachrymula, majora posset exigere Filius præmia; plura & homo posset petere munera. Quid ergo negabit Pater, si nos quidpiam vel petamus per illum, vel ille pro nobis? si Deus supra expectationem, contra opinionem, citra merita, supra modum, ad usque excessum est munificus; etiam cum homines judicant non debere conferri gratiam, & beneficium; sed potius inferri pœnam, & supplicium: an non parens & avarus erit, cum homines judicabunt debere, non tantum gratiam dari, sed velut debitum reddi? Si igitur habeas amicum tibi Filium: experieris tibi amicissimum & Patrem. Ad tuas preces accurret Filius, succurret Pater: uterque tibi erit amicus: non tantum ut donet liberalis, sed ut juvet fidelis: quod est argumentum sinceri amici, ut bene Poëta.

*Hunc fidum dico, bene qui succurrit amico.*

#### 14. DIES DECEMB.

Omnia bona terrena contempnit Christus; homo factus, ut contemnenda monstraret. *S. August. de Cath. rud. cap. 22.*

Christus est nobis exemplar. **N**on est scientia contemnenda, scire, quæ sint contemptibilia: sicuti & virtus est maximi æstimando, æstimare æstimabilia. Idem Pater æternus nobis contulit beneficium inæstimabile dum ad nos misit suum Filium, ut esset unus nobis Magister; qui nos doceret non modò præceptis, sed